



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos
Cardinales &c. Libri VI**

Baronius, Justus

Mogvntiae, 1605

Epistola XII. Cæsar Baronivs Soranus S. R. E. Cardinalis Ivsto Baronio
Veteracastrensi S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)

Vale mei memor, & sarcinam meam Episcopalem precibus tuis subleua. Datum Capuae. die 8. Nouemb. M. DCII.

EPISTOLA XII.

CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis

IUSTO BARONIO VETERACASIRENSI S.

TVAS *Iuste Baroni* litteras diu desideratas eadem magna animi mei voluptate accepi, & libenter legi. Præter enim manifestissima amoris erga nos tui & obseruantiaë indicia, id quod summopere de te audire volebam, significabant. Et primum quidem, quod earum me cupiditate incendebat, id erat, quod itineris vestri successus oppido me sollicitum habebat, cum non ignorarem multa solere proficiscentes incommoda comitari, lassitudines, æstus, frigora, insidias, & mille pericula, quæ quis aliquando diligentius vitare cogitat, eo citius incurrit. Sed, ut spero, eum viæ ducem consequutus es, qui Iunior^a *Tobiam* suæ fidei concreditum incolumem à patre & abduxit, & ijsdem auspicijs reduxit. Cui te, cæterisque Sanctis omnibus ut semper quàm studiosissimè commendes, & gratissimè.

^a *Tobia. 5. 5*

pi-
 Ca-
 A-
 E-
 a-
 a-
 a-
 r-
 te
 m
 a-
 is
 i-
 l-
 o
 e

tissimum exhibeas censeo, tãquam ijs, quo-
 rum apud Deum suffragijs & autoritate
 preces nostras promoueri & posse & solere
 certò scimus. Hæc enim sola est via, qua nos
 erga Sanctos pro eorum in nobis custodi-
 endis vigilantia gratos demonstramus. Al-
 terum quod me in ijsdem delectabat, illud
 erat, quod feliciter *Doctoratus* gradum na-
 ctus es: quem honorem tibi cum Ecclesia
 Dei communem esse & opto, & futurum
 spero: imò ipse an tibi magis ea de causa
 gratuler, non satis constituo, quod illam
 per te aliquando ornatum, tuisque labori-
 bus illustratum iri confido. In quo ne me-
 am de te opinionem fallas, quantum verbis
 consequi possum, & obsecro & oro. Ma-
 gnum tibi, mi *Iuste*, cum hac dignitate onus
 impositum est, magna sollicitudo accreuit,
 præmiorum vero spes & expectatio maxi-
 ma manet, si illam ea fide & constantia tue-
 bere, qua & te velle credo, & posse confido.
 Incumbe igitur, incumbere obsecro, & in id
 omnes neruos, omnem industriam confer,
 vt quæ te ex inimico & lumini rebelli gra-
 tiæ suæ restituit, illa ex sua in te humani-
 tate & amicitia mercedem reportet, vt tuis
 scilicet studijs & sudoribus istis in partibus
^b *tentorij sui funiculos dilatet*, hoc est, quem *b Isai. 54. 2.*
 deuijs omnibus misericordiæ sinum cupi-
 dissimè pandit, per te gaudens & læta im-

pleat. Quæ cohortatio nec longior esse debet, cum te tua sponte satis propensum ad quiduis pro ea laboris & discriminis subeundum persuasum habeam, nec omittenda tamen fuit, cum hoc apud te vellem relinquere, nil mihi magis curæ esse, nisi vt collatam tibi recenter honoris lauream omnium virtutum phaleris quàm maximè cohonestes. Vale Romæ. 18. Calend. Decemb. M. DCII.

 EPISTOLA XIII.

IUSTVS BARONIVS VETERASTRENSIS

LVDOVICO SCHWARTZMAIERO à Schwartzenu, S. Cæs. Maiest. à Consilijs S. P. D.

AD 18. Calend. Decemb. cum post semestrem absentiam domum ex Vrbe reuersus essem, primo cubiculi ingressu operientes inueni suauissimas^a literas tuas, Illustris D. Ludouice, quinto ante mense ad me datas, plenas amoris, plenas pietatis. Quibus vt confestim responderem, non solum illa ipsa causa monebat, sed & hæc altera, quod tu tanta dignitate vir, inter Imperatorios consiliarios haud postremus, me (quod ait^b S. Hieronymus) *primus ad officium*

^a Vide Sup.
lib 3. Epist.

^b Epist. 131.
ad Ruff.